



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 104. Pii V. Pontificis infirmatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Pontifici, ac sibi sufficere fidem a Rege Christianissimo datam respondit, quæ majus, aut certius pignus petere, aut secum ad Pontificem Patrum suum perferre non posset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1572.

§. CIV.

*Pii V. Pontificis infirmitas.*

Cum renum dolores, quibus summus Pontifex per plures annos afflictatus, Mense Martio tantopere ingravescerent, ut nullam in medicamentis spem repositam quæreret, reliquos vitæ suæ dies unice pietatis operibus sacre intentus erat, suosque cruciatus patientia vere christiana superans semper Deum sibi præsentem habuit, resumptisque viribus paulo antea septem Romanæ Urbis Basilicas potissima ex parte pedes incedens pie visitabat, postea autem ipso Dominicæ resurrectionis die ex ambone cunctis bene precabatur, & pro more suo sermonem ad populum habebat: tandem morbo indies aucto sese proximæ morti accingebat, ac tertio ante obitum suum die Sacris Ecclesiæ Sacramentis ab Alexandrino Cardinale Nepote suo receptis die prima Maji altera noctis hora animam suam Deo reddidit, pronuntiatis illis ex Paschali hymno verbis: *Quæsumus Auctor omnium &c.* Tum ætatis suæ annum agebat

*Thu. l. 51.  
p. 788.  
Spond. hoc  
anno n. 5.  
Catena in vi-  
ta Pii V.  
Gabut. vita  
Pii V. l. 5.  
c. 13.*

Sæcul. XVI. sexagesimum octavum unacum tribus  
A.C. 1572. Mensibus, & quindecim diebus, postquam Christi Ecclesiam sex annis, tribus mensibus, & viginti quatuor diebus rexerat.

§. CV.

*Pii V. Pontificis obitus.*

*Ciacon. p.*  
1006.

Quamvis hic Pontifex vitæ Sanctitate clarissimus esset, de ejus tamen obitu populus tripudiabat (\*), eoquod minus gratam haberet morum asperitatem, ejusque severitatem, quam exercebat per ipsam Inquisitionem, quod ipsum

---

(\*) Hujus gaudii testem allegat Continuator Ciaconium, qui tamen ait, hunc Papam *incredibili omnium mærore* esse defunctum; quid autem magis risu dignum, quam quod Continuator tam infælici mendacio hanc populi lætitiâ adscribat morum asperitati, & severitati, qua Sacræ Inquisitionis munus exercebat? cur autem Continuator non adnotavit, quisnam fuerit ille populus, sive Romanus, sive Gallicus, sive Germanus: attamen ipse probe noverat, quod omnes hi populi Papæ Sanctitatem, liberalitatem, ceterasque virtutes maximi habuerint: tandem Continuator in suæ calumniæ testem, & argumentum advocare cogebatur Selimum Turcarum Imperatorem: proh! pudor,